



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Militia Sacra || Dvcvm Et Principvm || Brabantiaë,||**

**Molanus, Johannes**

**Antverpiae, [1592]**

De sacra militia Conradi Ducis Lotharingiae, postea Regis Italiae, contra  
Henricum III. patrem suum. Cap. XLVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38114**

set, iter facturus. Et ecce post paucos dies tempestate infestissima circumuentus, multis suorum naufragio amissis; ipse nudus, omniumque rerum egens, vix in littus euasit.

Inde assumpto habitu plebeio, inter eos qui Hierosolymam orationis causa pergebant, Constantinopolim ire parabat, vocatus eò crebris legationibus Nordmannorum qui sub Imperatore Constantinopolitano militabant, qui que ei si illuc veniret, totius Græciæ principatum pollicebantur. Sed Imperator Constantinopolitanus, comperto hoc consilio, omnia flumina per quæ transitus in Græciam esse poterat, appositis custodibus, obseruari fecit, vt deprehensus illico traderetur. Sic conatus eius cœptumque irritum fuit.

*De sacra militia CONRADI Ducis Lotharingiæ, postea Regis Italia, contra Henricum LIII. patrem suum.*

## C A P. X L V I I I.

**S**ICARIVS quidam Friso, nomine Gisbertus, anno c. d. lxxvi. Ducem Godefridum Antwerpia interemit, cultello feriens per secreta naturæ. Eodẽ anno, Scafna-burgensi teste, Rex Henricus Pascha Traiecti celebrauit, ibique Ducatum Lotharingiæ filio suo Conrado; Marchiam verò, quæ dicitur Antverpia, Godefrido, consobrino Gozelonis Ducis, filio Eustatij Comitum, impigro

xii. Dux  
Brabantiæ do-  
no Henrici v.  
patris sui.



pigro & ad rem militarem acerrimo adolescenti tradidit.

*Ex Sig. l. 9.*

Hic Conradus qua ratione à patre suo desciverit, Dodechinus & Helmoldus, scriptores Germani ijs temporibus proximi, prodiderunt. Henricus cum acerbum in Adelheidem coniugem odium concepisset, in carcerem coniectam, omni contumeliarum genere afficiendam, ac propè lacerandam suscepit. Itaque ad cetera illata probra, cum Nicolaitarum more multis eam stuprandam prostrauisset, idem Conrado, quem Regem Germaniæ destinauerat, ut faceret imperauit. Addidit inde flagitio contumeliam: Conradum, scelere tanto se obstringere nolentem, ira odioque accensus, filium suum esse negauit. His de rebus Adalheidis cum è carcere euasisset, & filius Conradus, ad Mathildem in Italiam se receperunt: ubi Conradus ex Urbani auctoritate regnum aduersus patrem in Lombardia suscepit. Idque summa cum omnium gratia per annos deinde nouem administravit, ac Rogerij Siciliae Ducis filiam sibi matrimonio iunxit. Cumque præclare in omni officio se gessisset, neque à Mathildis vnquam Pontificisque consiliis discessisset; alienissimo Ecclesiae atque Italiae tempore morbo consumtus, siue, ut alij tradunt, veneno extinctus est anno C I D. C I.

*De*